



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Illustrantur tres alii textus canonici tangentes opinionem probabilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

sufficientis non sit in conjugatis exferè semper, aut etiam plerumque contingentibus. Itaque illud. *cap. Inquisitioni*, secundum unam ejus intelligentiam, nil habet proliis pro præfenti controversia, & secundum alteram est potius pro nobis. Ad rationes utriusque initio propositas patet satis ex dictis, quæ occurrunt sit distinctio opinionis retentæ, vel depositæ, & sic, vel sic depositæ.

Illustrantur tres alii textus Canonici tangentes opinionem probabilem.

ART. CLXXXI. **I**ndidem facile intelliguntur textus alii duo valde fines, præcedenti *cap. Dominus*, de sec. nupt. & *cap. Cum per bellicam* 34. quæst. 1. & 2. & in *cap. Dominus*. Cavetur ne quis migret ad secundas nuptias, quin constiterit de prioris conjugis morte, ac deinde subditur: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non observavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non denegat postulant; quod à se tamen non erit nullatenus exigendum.* Ratione utique, & sensu superius explicatis quoad utramque partem, nisi quoad hæc verba, quoad debitum non denegandum, magis inclinare videantur ad interpretationem fundatam in obligatione vitandi majus malum, quatenus id non præscribunt pro prima tantum vice, sed potius permanent. Recolatur annotatio præmissa, art. 179. sub finem. In *cap. Cum per bellicam*. Hoc specialiter habetur post præscriptum redditum ad priorem conjugem, quo existimato mortuo initum erat secundum matrimonium, siis deinde compareat. Nec tamen culpabilis iudicetur, inquit Leo Papa, & tanquam alieni juris perversor, qui personam (uxorem) eius mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit. Et rursus paucis interjectis: *Si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, & inculpabile iudicandum est, quod necessitas intulit (transitus ad secundas nuptias) restituendum quod fides possit.* Habes in his bis repetitum, irreprehensibilem esse transitum ad secundas nuptias factum sub existimatione, tamen si falsa, de morte prioris conjugis, qui deinde comparuit exigens jura conjugii. Ea autem existimatio non potuit esse omnino certa, cum falsitas repugnet totali certitudini. Potuit verò esse probabilis, cum probabilitati non repugnet similiter falsitas, ut patet inter alia ex Innoc. III. *cap. Fraternitatis*, de frig. & malef. ad med. ibi: *Sententiam devortii per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam.* An ea probabilitas esset absolute major, quam probabilitas partis oppositæ, an minor; an solus excessus secundum quid esset certus, ac manifestus ex utralibet parte supra alteram, cum ancipiti incertitudine quoad excessum utriusvis simpliciter, & absolute cum nil extenus dicatur, aut specialiter insinuetur in textu: Videtur non alium probabilitatis gradum subintelligi rationabiliter posse, quam qui communiter reputatur sufficiens ad fidem humanam non leviter, ac temere, sed discretè, ac maturè concipiendam; ita videlicet ut mors prioris conjugis credatur cum fundamento ex plerumque non fallentibus, & cui insit excessus aliquis saltem secundum quid supra fundamentum, si quod addit in oppositum, atque ratione talis excessus pertrahat de facto ad assensum. Eodem sensu accipiendum est, *cap. in præsentia*, de sponsal. & metr. ubi consultationi de secundis nuptiis mulierum, quæ certificari non poterant de vi, vel morte conjugis jamdudum absentium, respondet Clemens III. *ut non permittantur ad secunda vota convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Intelligitur mirum certitudo, qualis exigi, ac repetiri solet in ordinario rerum humanarum commercio, id est, quæ exposita à nobis modo est, atque ita intelligitur probata merito reponens verisimile pro certo, huiusmodi ubi tamen verisimiliter præsumitur de morte, si mortuus erat, excusatur. Unde nil, aut parum profecto refert, an certus nuntius, an certum nuntium exigitur in materia, circa quod controvertunt nonnulli apud Simplicium. Utrovis namque modo intelligitur commode testimonium inductivum certitudinis, quibus, & quanta inesse communiter solet, ut dictum est, licet humanæ conceptæ, ex credulitate probatis, & aliis, ut paulò prius idem Clemens loquebatur.

Exponitur Clement. Exiv.

ART. CLXXXII. **V**ideri demum potest speculatio indigere discussione textus ex Clem. Exiv. de rebus signis. ubi præmissis dubiis FF Minorum circa ea, quæ ex vi regulæ, & confessionis obligant, vel non obligant sub lethali, eorundemque insipientie pro Pontificia desuper declaratione, subiungit Clemens V. *Nos itaque, qui in sinceris horum consiliis dilectamur, attendentes quod in his, quæ animæ salutari sunt, ad vitandos graves remorsus conscientie persequimur, sub præmissa dubiorum voce, sermone hic procul dubio esse de probabilibus hinc, & inde opinionibus. Quia in Ordine Seraphico nunquam deservimus, & tunc maxime temporis florebat plurimi doctorum, & pietate præclari viri, quorum & auctoritas, & argumenta ad verum, ac legitimè probabiliter gradum promoverentur partem; cum assensum, tum negativam obligationis gravis quoad ea, circa quæ erant divisi, quibusdam dicentibus, ut præfatur paulò prius Pontifex circa punctum principale, quod ad omnia; alius autem asserentibus, quod ad sola illa, &c. tenerentur. Ergo in dubiis etiam late, ac impropiè talibus, iisdemque verè, ac propiè probabilibus opinionibus, pars securior est tenenda ex præcepto Pontificio. Et confirmatur, quia si omnes, qui circa plerique omnes viri docti, & pii, & graves Ordinis Franciscani fuissent concordēs quoad obligationem vel non obligationem gravem circa singula puncta proposita, nec totus Ordo motus fuisset ad postulandam declarationem Pontificiam propter paucissimorum, aut ineptorum tergiversationes inanes, nec Pontifex illam exhibuisset, prout exhibere accuratissimam valde locupletem, & longam. Erant igitur auctores controversiarum, quales ad probabilitatem opinionum abundè sufficerent & quorum proinde auctoritas se sola tolleret, iuxta nostram sententiam, omne periculum peccandi lethali contra regulam, nec ultra illam quidquam desiderari, providere debuisset ad sinceram, & teneram conscientiam tranquillitate donandas, & tamen aliter confuere, & Ordo petendo, & Pontifex indulgendo declarationem prædictam.*

ART. CLXXXIII. Duo circa hunc textum exponere oportet, sensum axiomatis Pontificii, quod obijcit, & necessitatem Pontificiæ declarationis.